

non prorsus indigna vsa sunt, quare iis cum producendis, tum varia ratione dissoluendis, disquirendisque multam operam infumsi. Iam autem, cum omnem laborem, qui ad accuratam eorundem peruestigationem videbatur necessarius esse, absolueri haecenus non potuerim, vberiore de his tentaminibus relationem, quam non ingrati chemici futuram esse spero, in aliud tempus differam. Antea vero, quam finem imponam huic libello, super illo mercuriali sale, quod acidi tartari ope producitur, et cuius in medicina vires francogalli quidam medici extulerunt, nonnulla adiungam monita. Etenim cum *Turneri* siphyliticus liquor, qui a *Swietenio* ut plurimum cognominatur, cuius auctoritate nuper inter vsitatissima medicamenta sit relatus, hoc habeat incommodi, ut per facile ingrati irritationem in ventriculo producat, ac praeterea illis, qui per quoddam temporis intervallum eo vsi fuerint, propter metallicum saporem admodum molestus sit, omnem nonnulli dederunt operam, ut vel aliam sublimati mercurii solutionem, vel mercurialem praeparationem quandam, quae se magis commendat, illi substituerent. Hinc factum est, ut, praeter *Plenkii* gummosum mercurium, maiores *Hoffmanni* pilulas, hydrargyrum nitratum cet. etiam mercurius vegetabili acido solutus et deinde inspissatus atque in trochiscos vel pastillos mucilagineorum quorundam corporum ope formatus in medicamentorum apparatus introduceretur et ad morbos a venereo miasmate productos adhiberetur. Cum autem vegetabilis huius mercurialis salis praeparatio, ad quam alios acetum destillatum, alios cremoris tartari in aqua solutionem commendasse constat, permultis sane difficultatibus prematur, quod exigua tantum hydrargyri portio in magna huiusmodi vegetabilis acidi quantitate dissolui queat, haud secus poterat evenire, quin me-

dici